



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Collegium Universi Juris Canonici

Engel, Ludwig

Salisburgi, 1693

Privilegium VII. In Monasterijs potest quilibet sibi aut suæ familiæ eligere
Sepultutam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61596)

ralem communicationem privilegiorum cum ejusmodi privilegiatis Ordinibus communicent etiam in specie privilegium exemptionis à solutione decimarum tradidi in *Lib. III. Decret. Tit. de Decimis §. 2. n. 45.* ubi dixi id regulariter negandum, eò quòd exemptio à decimis propter præjudicium Parochorum sit difficilis & non comprehendatur in generali concessione *arg. c. qui ad agendum de Procurat. in 6. ep. c. nuper de Decimis.* Dico tamen regulariter. Nam si communicatio exprimat aliqua præjudicialia privilegia saltem in genere, vel adfir talis amplitudo verborum, ut significet mentem communicantis se extendere ad omnia, præsertim si habeat annexam clausulam: *quorum tenores &c.* atque Monasteria habens communicationem, sustineat multos labores in Ecclesia prædicando, docendo, & Sacramenta ministrando, his inquam accedentibus circumstantijs dicendum est, in generali communicatione Privilegiorum etiam Privilegium immunitatis à solvendis decimis comprehendendi. Pasqual. ad Laur. De Franch. de contro. inter Episc. & Reg. p. 2. q. 72. n. 10. & seqq.

ADNOTATIO.

Videbitur fortassis huic privilegio derogatum per *c. nuper de Decim.* aut per *c. i. in fin. v. s.* verum in *d. c. nuper.* capium tollitur privilegium, quod Cisterciensis competebat, ne de quibusvis possessionibus, non tantum *Novallibus* si eas propriis sumptibus excolerent, teneantur decimas dare. In *c. i. de v. s.* advertit Gl. quòd ibi Pontif. loquitur de fratribus Templaris & Hierosolimitanis, qui sunt Laici sine ordine Clericali, ut solvant decimas, non quibusunque Parochis, sed quodammodo sibi ipsi, seu Clericis sui Ordinis.

PRIVILEGIUM VII.

In Monasterijs potest quilibet sibi aut suæ familie eligere Sepulturam.

1. Hodie hoc Privilegium etiam alijs Ecclesijs communicatum est.
2. Quid debeatur Parocho ex his, quæ Monasterio occasione funus obveniunt.

Ante Decretalem Bonif. VIII. quæ habetur in *c. 2. de Sepult. in 6.* poterat hoc asserum inter specialia Monasteriorum Privilegia melius, quam hodie computari. Etenim de Jure antiquo pluribus placuit, neminem posse dimissâ Ecclesiâ suâ Parochiali aibi eligere Sepulturam, nisi in loco Religioso seu Monasterio, ubi crebrius divina Officia celebrantur, sicut insinuat textus in *d. c. 2.* & notat Glossa ibidem, * At verò hodie Bonif. VIII. concessit, ut in qualibet Ecclesia etiam minus Religiosa electio sepulturæ valida censatur.

Præterea licet de jure debeatur Parocho portio Canonica, id est, tertia vel quarta pars eorum, quæ à defuncto obveniunt loco electæ sepulturæ, *c. 4. cum super. c. certificari, c. in nostra de Sepult.* Specialiter tamen excipitur in *c. fin. de Testam.* quòd non sit solvenda portio Canonica de his, quæ in specie pro fabrica Ecclesiæ, pro ornamentis, luminaribus, anniversario, septimo, vigesimo, trigesimo die, sive aliis ad perpetuum cultum divinum legantur. Imo per particularia privilegia & locorum consuetudines multa Monasteria vel nullam omnino portionem Canonica, vel non nisi de funeralibus propriè dictis (quæ scilicet in eodem die cum funere deferuntur, uti sunt candelæ, pannus, oblationes &c.) exsolvant, prout hæc & plura circa jus eligendi sepulturam retuli in *Lib. III. Decretal. Tit. de Sepulturis.*

PRIVILEGIUM VIII.
Monasteria gaudent immunitate locali.

1. Quid sit immunitas localis.
2. Privilegia data Ecclesijs competunt etiam alijs pii loci.
3. Omnes malefactores regulariter defenduntur hac immunitate, sunt tamen quidam excepti.
4. Hac immunitas est tantum Juris humani.
5. In hac immunitatis materia prævalent SS. Canonibus legibus Civ.
6. Consuetudo etiam attendenda est.
7. Asylum competit etiam Ecclesijs non consecratis, pollutis, aut interdictis.
8. An ad amittendum asylum conjunctim requiratur

(B 3)